



AMPLISSIMIS
SPECTATISSIMISQUE
Viris celeberrimæ facultatis
PARISIENSIS
Doctoribus Medicis

BIBLIOPOLA

S. D.

Agredienti mihi huius Operis
editionem alteram (cum reuerã
prior verborum additione , de-
tractione , transiectione , ac commuta-
tione à Lectoribus mendosa , & quasi
monstruosa deprehendatur) haud diù
deliberandum fuit , quibusnam eam
magis dicarem : Quam primum autem

ã ij

EPISTOLA

manum ad opus admouere mecum constitueram; illicò vestra sese obtulerunt amplissima nomina, ut pote quæ ab ultimis celeberrimi Gymnasij primordiis, Medicam dignitatem summam cum humanitate coniunctam perpetuò à decessoribus acceptam, summo opere maioremque in modum exornant. Quamuis enim uniuersæ de sanitate doctrinæ seueriores meritò habeamini Iudices, ex præscriptione tamen vetustæ consuetudinis, omnes quosque in Veritatem Medicam sedulò inquirentes, ad eamque studia sua unicè collimantes, protegere, amplexari, fouere, item beneficiis promouere, in dies magis magisque studetis, eò nimirum attendentes, ut Sacræ veritatis ventilatio semper sit non tantum modesta, sed etiam certa & firma, cuiusmodi apud nostrum Authorem Lectoribus ubique occurrere videtur. Idcirco cum

DEDICATORIA.

in lucem publicam sit proditurus hic liber, quò feliciori fato gaudeat; prima mihi cura fuit, ut vestris id fiat benignissimis auspiciis: proxima verò est, ut paucioribus quam antehac erratis ac mendis, in litteratorum manus veniat comitatus. Quam plurimis etiam Scientiæ studiosis non indignus videbatur, ut pro argumenti dignitate, Authorisque in eo tractando solertia, edatur, hoc est, quoad fieri potest, elegans ac emendatus; illud autem constabit maximâ, ut spero, ex parte factum esse, si utriusque editionis (id est Venetæ & nostræ) libri inter sese conferantur. Accedit & illud prætereà, quod ad libri finem singulorum capitum indicem adiecimus. Verùm ne officio fungens, officiosus nimis videar, verba facere amplius nolo; solummodo D. Opt. Max. supplex rogo, ut vos Reipublicæ Medicæ in mul-

13
EPISTOLA DEDICATORIA.
tos annos incolumes conseruet. Hæc
sunt vota.

Splendidissimæ vestræ
ACADEMIÆ
addictissimi
I. L. D'HOUVRY.